



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1652-1663**

Cap. 17. Circa præceptum diuinum Communionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80513](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80513)

in fine vitæ sunt prædestinati. Dico igitur, hæc auxilia sufficiencia necessaria prolixius adultis, vt possint conseruare vitam spiritua-lem esse infallibilem communionis effectum, vel voti communicandi saltem impliciti. Quia Christus, sic instituit Eucharistiæ Sacramen- tum, conseruationi gratiæ destinatum, vt adul- tis noluerit sua merita communicare quo- ad sufficienciam perseuerandi, nisi recipiant Eu- charistiam in re, vel in voto saltem implicito: quale censetur esse vel contritio peccatoris; vel voluntas recipiendi Baptismum, aut Pœni- tentiam, dum non virget communionis præ- ceptum, vel non suppetit communicandi facul- tas. Sentio cum D. Thoma 3. parte quæst. 80. artic. 11. ad 2. *Hoc Sacramentum, (ait) dici- tur esse necessitatis, sicut Baptismus, quan- tum ad pueros, quibus potest esse salus sine hoc Sa- cramento, non autem sine Sacramento Baptismi. Quantum verò ad adultos utrumque est neces- sarius.*

CAPVT XVII.

*Circa præceptum, diuinum Com-
munionis.*

PROBL. XCI.

*Extat, & non extat præceptum diuinum
communicandi.*

394
Non extat ei-
usmodi tale
præceptum.

NON extat. Quia tale præceptum nec traditione constat, nec sacris in voluminibus habetur. Nam il- lud Ioann. 6. *Nisi manducaueri- tis carnem Filij hominis, &c.* De manducatio- ne per fidem spirituali fuit dictatum. Verba verò Luca 22. *Hoc facite in meam commemo- rationem*, vel ad solos ministros diriguntur, qui quidem consecrare iubentur, vt alij reci- piant, si velint: vel præscribunt solummodò communicandi finem, scilicet intentionem ibi commemorandi Dominicam passionem. Sic D. Thom. in 4. distinct. 9. quæst. 1. art. 1. quæstion- cul. 1. & distinct. 12. quæst. 3. art. 2. quæstion- cul. 1. & distinct. 9. quæst. 1. Alenf. 4. part. quæst. 51. membr. 4. Bonauent. Gabriel. Ferrar. Syluest. quos refert Vasquez distinct. 213. ca- pit. 1.

395
Extat omni-
bus.

Extat planè. Quia verba illa Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem, &c.* Patres de Sacramen- tali manducatione vniuersim capiunt, & saltem necessitatem diuini præcepti sonare contextus ipse, modusque loquendi satis ostendunt. Non enim potest illa conditionalis esse vera, nisi talis manducatio sub diuino præcepto sit necessa- ria: si quidem alias non manducans, posset sim- pliciter vitam habere. Ita D. Thom. mutato, consilio, 3. p. 9. 80. art. 11. Gabriel etiam muta- uir, sequuntur Durand. Palud. Rosen. Ledesm. Caietanus, Sotus uterque. Vasquez citat. Suarez distinctione 69. section. 1. Henriquez lib. 7. cap. 3. n. 2. cum multis Card. de Lugo d. 16. num. 2.

Profecto iam secunda hæc sententia ita in- ualuit, vt Valentia tom. 4. distinct. 6. quæst. 8. punct. 4. dixerit: nullum hoc tempore Catho- licum docere contrarium. Nullus eorum, (quos legerim dum cap. 6. Ioannis commen- tarius illustrari) qui de cibo Sacramentali ca- piunt illa verba, hæcenus præceptum huius Sacramenti diuinum esse negauit.

PROBL. XCII.

*Hoc præceptum diuinum communicandi,
obligat, & non obligat, non baptizatos,
sive fideles sint, vt Catechumeni, sive
sint infideles.*

NON obligat. Quia sicut Baptismus est om- nium ianua Sacramentorum, sic etiam est fundamentum obligationis eadem recipiendi: quare nullus ante Baptismum ad recipiendum aliquod Sacramentum obligatur præter Bap- tismum ipsum: sicut nec tenetur ad ieiunia, vel obseruationem festorum immediate quam- vis debeat per Baptismum ad Ecclesiam venire, ac eius præceptis subiaccere. Sic Sotus in 4. d. 18. q. 1. a. 3. Sanch. l. 1. de cal. c. 12. n. 15. Pitig. Nufi. quos sequitur Bonac. d. 4. q. 1. punct. 2. n. 4.

Obligat omnino. Quia præcepta diuina generaliter prolata omnes capaces obligant, cum omnes diuina potestati subdantur. Sed hoc ne diuinum præceptum generaliter fuit prolaturum ad adultos, & non baptizatos capaces sunt illius saltem remotè, siquidem si velint baptizari, possunt illud implere. Ergo obligat etiam illos. Ita Vasquez d. 214. c. 4. Coninch. q. 80. n. 93. Suar. dist. 69. sect. 2. Reginald. lib. 29. num. 72. Card. de Lugo distinct. 6. num. 17. qui subinde censent, adultum non baptizatum, baptizari debere, vt communicare possit: alioquin pec- care dupliciter, contra præceptum scilicet Bap- tismi, & contra communionis præceptum.

Censuerim ego, Christum potuisse obliga- re non baptizatos immediate ad Eucharistiam recipiendam, cum sic Dominus omnium: & de facto pro mortis articulo cunctos adultos obli- gasse ad communicandum: ita vt teneantur baptizari tunc temporis eo quoque titulo, vide- licet vt sint Eucharistiæ recipiendæ capaces: & in hoc sensu veram esse secundam sententiam. At extra mortis articulum non improbarim sen- tentiam primam, quia vix designati potest tem- pus determinatum, pro quo tale præceptum obliget immediate non baptizatos. Quapropter extra talem articulum nunquam determinatè delinquent contra præceptum diuinum commu- nionis.

PROBL. XCIII.

*Præceptum diuinum communicandi, obli-
gat, & non obligat sæpius in vita.*

PER accidens obligamur ad communionem, quoties iudicamus illam necessariam esse simpliciter ad resistendum alicui tentationi, vel ad vitandum lethale peccatum: sicut etiam tenemur

Sectio II. De Eucharistiâ, Problemata. 75

tenetur ad alia similia media. Quæstio autem procedit de obligatione per se. Obligatur hoc diuinum præceptum non sæpius, sed semel in viâ. Quia præceptum affirmatiuum per vnam actum sufficienter impletur. Vnde si quis iam semel in viâ communicauit, non obligatur diuino præcepto in mortis articulo. Sic Palud. Victor. Caiet. apud Suar. d. 69. ^{sub. 3.}

401 Diuinum præceptum obligat ad communicandum non solum semel, sed sæpius in viâ. Quia hoc Sacramentum institutum est per modum cibi concurrentis ad spirituales nutritionem: sed necessitas cibi materialis postulat repetitis commestiones ad reparandum id, quod actione continuati caloris deperditur. Ergo proportionaliter Eucharistiæ necessitas cum sit cibi spiritualis postulat iteratas sumptiones, ad reparandum, id quod continua hominis impugnatione debilitatur. Ita D. Thomas 3. parte quæstione 80. articulo 11. Sotus, Henriquez, Coninch. Reginaldus, & alij, quos sequitur Bonacina distinctione 4. quæstione 7. puncto 1. numero 8. Franc. de Lugo de Sacrament. lib. 4. cap. 9. qu. 3. num. 11.

402 Idem asserens, addo, Christum non determinasse tempus communioni, sed reliquisse determinandum non tam singulorum arbitrio, quam Ecclesiæ designatione, quæ proinde semper curauit, vt hoc Sacramentum sæpè à fidelibus sumeretur: & demùm præcepti communionem annuam in Paschate, qua quidem extra mortis articulum sufficienter impletur Communionis præceptum, vt facit Valquez distinctione 214. capite 3. Coninch. quæstione 80. numero 101. Cardin. de Lugo distinctione 16. numero 28. Posita ergo Ecclesiæ determinatione, iam fideles tenentur non solum ex Ecclesiastico, sed etiam ex diuino præcepto sæpè communicare, quod licet eis tempus non determinet, obligat ad talem frequentiam, qualem Ecclesiæ determinauit.

PROBL. CXIV.

Qui communicauit in Paschate, tenetur, & non tenetur præcepto diuino in mortis articulo recipere Eucharistiâ sub mortali periculo.

403 **Q**ui communicauit in Paschate, & in articulo mortis non ex contemptu, sed ex negligentia communionem omittat, non peccat mortaliter. Quia viaticum non est necessitatis Sacramentum, & Ecclesiæ consuetudo non videtur amplius quam sub veniali obligare. Sic Victor. in sum. num. 86. Chamerota. & Grassapud Bonac. dist. 4. quæst. 7. punct. 1. num. 1. Sa. v. Eucharistiâ, num. 1. fante: *Qui in Paschate communicauit, si in articulo mortis non communicet ex negligentia quâdam, sine contemptu, non peccat mortaliter.* Quod editio correctâ non abstulit.

404 Præcepto diuino tenetur communicare in articulo mortis articulo, quamvis communicauerimus in Paschate. Quia id affirmat antiquissimus Escob. & Menâ. Theol. Moral. T. III.

Ecclesiæ mos Communionem præbendi moribundis, quem in multis Conciliis commendatum, & vltimo vetustissimo receptum fuisse Tridentinum sess. 13. c. 6. testatur, retinendumque fore decernit. Ita Suar. Vafq. Bonac. Pitigian. Hurtad. Præpos. quos sequitur Diana p. 3. tr. 4. resol. 40. Coninch. q. 80. n. 95. & q. 8. Henriq. l. 8. c. 4. Reginald. l. 29. n. 64.

Hoc mihi certum asserenti, prudenter colligi, hanc consuetudinem ab Apostolis derivatam, ex diuinâque præcepto natam fuisse. Hinc existimo, Doctores primæ sententiæ, si semel admittant vllum præceptum pro mortis articulo, vel saltem consuetudinem Ecclesiæ, quæ præcepti vim habeat, parum consequenter addere, non esse mortale, quando sine contemptu per solam negligentiam talis communicatio omittitur. Nam cum materia sit gravis, & ad animæ salutem valde conferens, gravis erit obligatio. Demùm assero, sine temeritate negari non posse præceptum communicandi pro mortis articulo. Quia sæpè Concilia præcipiunt, ne morientes sine viatico decedant.

PROBL. XCV.

Qui communicauit paulo ante periculum mortis, tenetur, & non tenetur ad diuinum præceptum implendum, rursus in periculo communicare.

Tenetur omnino. Quia non est impletum diuinum præceptum communionis obligans pro mortis articulo. Nullus enim implet præceptum antequam incipiat eius obligatio: sed obligatio huius diuini præcepti verè non incipit, donec mortis periculum imminet: Ergo non potest ante mortis periculum impleri, sicut in aliis præceptis affirmatiuis obligantibus pro determinato tempore Doctores profitentur. Ex. gr. Qui Missam audit hodie, vel Officium recitat, non implet præceptum audiendi Missam, vel Officium recitandi die crastina. Sic Valquez d. 214. cap. 2. Luis. de Torres summ. part. 1. cap. 5. dub. 2. num. 3. Hurtad. de Euchar. dist. 10. diff. 2. Breller. de consci. l. 3. c. 8. n. 100.

Non tenetur ad diuini præcepti implementationem rursus in mortis periculo communicare, qui paucis retro diebus ante mortis periculum Eucharistiâ accepit. Quia finis huius communionis est, vt homo Sacramento Eucharistiæ tanquam cœlesti Viatico se præparet ad exitum: sed sufficienter censetur se præparasse, qui paucis retro diebus ante mortem Eucharistiâ accepit etiam sanus: Ergo sufficienter hoc præceptum (quod censendum est obligare solum ad accipiendam Eucharistiâ paulo ante mortem, ne quis sine hoc Sacramento proximè recepto decedat,) impleuit. Ita Henriq. Tabie. Grassi. quos sequitur Bonac. dist. 4. q. 7. punct. 1. n. 2. Martin. tom. 4. d. 35. sect. 6. n. 68. Laym. l. 5. tom. 4. c. 5. n. 3. Fagund. præc. 3. l. 1. c. 3. Cardin. de Lugo d. 16. n. 38. Merat. tom. 3. dist. 35. sect. 2. Amic. tom. 7. d. 27. sect. 2.

Cum his opinor, quia si quis benè valens sciret ex reuelatione, de breui moriturum, vel

ESCOBAR
Theol. Moral.
T. III. IV
F. IV

occidendum esse sine Sacramenta recipiendi opportunitate: teneretur, statim communicare, nè sine viatico obiret: sicut proculdubio teneretur, qui monetur à Iudice de sententiâ mortis intra biduum exequenda. Ergo tale præceptum incipit obligare pro tempore morti proximo tam sanum, quàm infirmum: & per consequens impleri potest toto tempore morti proximo tam ab ignorante mortem proximam, quàm à cognoscente. Si quidem obligatio præceptorum pro tali, vel tali tempore pender ab intentione legislatoris sufficienter expressa: non à notitiâ, vel ignorantia subditorum, licet hæc excuset ab executione, quando est innuincibilis. Si autem petas, quot diebus ante mortem debeat præcessisse communicatio, ut præceptum communicandi censetur impletum quoad viatici sumptionem: respondeo rem esse magis arbitrio prudentis, quàm iuris decretis regulandam. Crediderim tamen, sufficere, si quindecim ante diebus quis communicauerit. Lege Suarium, d.69.

PROBL. XCVI.

Qui post sumptum viaticum mortaliter deliquit, tenetur, & non tenetur, ad præceptum diuinum implendum, iterum communicare.

409
Tenetur profecto.

Tenetur profecto. Quia moribundus, qui post receptum Eucharistiæ Sacramentum mortaliter deliquit, tenetur iterum confiteri; quoniam Sacramentum Pœnitentiæ necessarium est, necessitate mediij. Sed pariter Eucharistia est necessaria necessitate mediij. Ergo debet post mortale commissum iterum communicare, nè sine viatici necessario iuvamine in agone supremo succumbat, qui post sumptum viaticum mortaliter peccauit. Sic Sotus in 4. distinct. 12. quæst. 1. art. 11. Tabie. v. Communicatio, numero 16. Armilla ibi, numero 11.

410
Minimè tenetur.

Minimè tenetur. Quia non est medium necessarium, & præceptum iam impletum fuit. Et quia consuetudo fidelium ostendit, sufficere tunc Pœnitentiæ Sacramentum sine iteratâ communionem. Ità Suar. d.69. sect. 3. Hentiq. l.8. cap. 5. num. 3. Coninch. quæst. 30. num. 100. Card. de Lugo distinct. 16. num. 46. Hurtad. Ochagau. & alij, quos sequitur Diana part. 5. tract. 3. resolution. 43. & parte 3. tractatu 6. resolutione 18.

411
Idem assero.

Idem assero, & aptius probarim ab inconuenienti; nam interdum esse necessarium in eadem die communicare bis, aut sæpius, si post sumptum viaticum eadem die sæpè delinqueret moribundus mortaliter, & eadem die cessurus videretur.

PROBL. XCVII.

Si in mortis articulo Laicus deglutire non potest Eucharistiæ particulam, ministranda est ei, & non est ei ministranda Sanguinis species.

Minimè ministranda est. Quia Ecclesiastica lex Laicos prohibens vltu Calicis, videtur inibi præualere, ne detur notabilis irreuerentia occasio, si sub prætextu necessitatis sit species Sanguinis ad infirmos referenda. Sic Suar. d.71. sect. 3. Fagund. præc. 3. l. 3. c. 4. n. 20. Pigtigian. in 4. dist. 8. q. 3. art. 6. Mercet. 3. p. q. 80. art. 12. propof. 2. Sylui. ibi quæstio 4.

Ministranda profecto. Quia præceptum diuinum recipiendi viaticum est præferendum etiam tunc humanæ legi prohibenti Laicos Calicis vltu. Ità Nuñus 3. p. q. 80. a. 12. concl. 3. Ochagau. tr. 2. de Eucharistia effectib. q. 18. n. 9.

Casus quidem erit rarissimus in quo possit huiusmodi moribundo sanguinis species in fundi sine vomitionis, aut profusionis periculo. Si tamen vnquam acciderit, ut qui non potest Hostiæ particulam trahere, valeat sine irreuerentiæ periculo Sanguinis stillam absorbere, ei poterit ministrari. Viramque enim sententiam probabilem arbitror esse cum Diana part. 5. tract. 3. resol. 34. Ego verò tali abstinerem ministratione, credens, eum, qui non potest panis speciem recipere, satis à præcepto diuino communionis excusari.

PROBL. XCVIII.

Pestis tempore, potest, & non potest Eucharistiæ moribundo ministrari instrumento aliquo medio, ne Sacerdos manu tangat infirmum, & inficiatur.

Potest profecto. Quia tuendæ vitæ ius eam abstrahit indecentiam. Sic Venerus in Exam. Potest quidem Episc. l. 4. c. 46. n. 47. dicens, posse apponi Eucharistiæ super cochlear argenteum, & morienti dari. Iacob. Mancin. de visit. infirm. præf. 8. dub. 18. dicit, in Diocesi quadam Eucharistiæ à Sacerdote apponi super scilum albæ paginæ extensæ super scabellum ad id paratum; ut lingua sumat infirmus particulam, & mox Sacerdos accensa candela in summitate virgæ paginam comburit. Quem vltum probabile reputat Marchant. tr. de vltio. sect. 3. addens, & approbat alios modos ministrandi viaticum infectis.

Minimè potest. Quia ritus ab Ecclesiâ præscriptus, & communi more receptus est, ut Sacerdos manu propriâ Eucharistiæ ministret, & hoc exigit tantum Sacramenti reuerentia. Ità Bonacin. Chapeauil. Barthol. à Sancto Fausto, quos sequitur Diana part. 4. tract. 4. resol. 114. & p. 5. tr. 3. resol. 50.

Hoc probabilius reputo, dum lego Concilium Mediolanense quindecim Episcoporum de curâ pestis. capit. 15. numer. 2. approbatum à Summo Pontifice vltum instrumenti pro humo

Sectio II. De Eucharistiâ, Problemata. 77

iustmodi administratione reprobare. Profectò potius est subeundum periculum contagionis, quam tantum Sacramentum irreuerenter ministrare.

PROBL. XCIX.

Die Veneris Sancti, licet, & non licet Laicalis Communio.

⁴¹⁸ **P**otest quis quolibet per annum die Eucharistiam accipere diem Parasceue si de-
mas, in quo nullo Laico licet communicare
nisi graui agitudine pressus sit viaticum re-
cepturus. Quia cap. *Sabbathi*, de consecra-
tione dist. 3. id verat Innocentius. Et quia
Rubrica Missalis præcibit, vt Sacerdos ferâ
quintâ aliquas particulas consecratas asseruet,
si opus fuerit pro infirmis die Veneris commu-
nicandis. Ergo duntaxat infirmis licet eo die
Eucharistiam accipere. Sic Francon. de *Horis*
Canon. cap. 30. num. 12. Gauant. in *Rubricâ*
Missal. part. 4. tit. 9. num. 23, referens rogatam
Sacram Rituum Congregationem die 19. Fe-
bruar. anno 1622. respondisse, seruandam esse
vniuersalis Ecclesiæ præsentem consuetudinem
non ministrandi tali die nisi moribundis Eucha-
ristiam.

⁴¹⁹ **L**icet die Veneris Sancti cuilibet fidei Laica-
li refici communione. Quia communio huius-
modi nullibi prohibetur. Innocentius namque
capit. *Sabbathi* solum prohibet celebratio-
nem. Rubrica Missalis communionem infirmis
non autem sanis degat, et si illos non expref-
ferit; quia communiter eo die à sacro cibo as-
solent abstinere. Verum hæc consuetudo præ-
cepti necessitatem non inducit; quia non est in-
ducta cum obligationis intentione, nec est vni-
uersaliter recepta. Ita Suar. d. 80. sect. 2. Vasq.
Laym. Tanner. quos sequitur Hurtad. de *Missa*
d. 4. diff. 3. Vega, Filline. quos sequitur Diana
p. 4. tr. 4. res. 2. 37. Pellizari. de *Regular. tom. 2.*
tr. 8. cap. 1. n. 108.

⁴²⁰ **C**um his opinor, sciens Benedictinos suis in
Templis tam Religiosis, quam secularibus Eucha-
ristiam eo die ministrare solitos. Et ex anti-
quis ritibus Suarius colligit, olim viguisse mo-
rem die Sacti Veneris communicandi. Præsen-
tem vero consuetudinem non obligare cum Pel-
lizario, ac Diana iudico. Quoniam sacra Rituum
Congregationis responsiones dantur solum pro
dubis particularibus interrogantium. Ideo nec
publicantur, nec obligare videntur. Quin ipsa
met sacra Congregatio per suum decretum edi-
xit, ne sue responsiones conferrentur authenticæ,
nisi legitimis subscriptionibus, ac sigillo munitæ
proponerentur. Si qua tamen alicubi talis res-
ponsio per modum decreti ligantis reperitur:
ibi quidem erit asseruanda non tam vi consue-
tutinis antiquæ, quam nouæ constitutio-
nis.

Esob. & Merd. Theol. Moral. T. III.

PROBL. C.

*Communio quotidiana est, & non est,
vniuersaliter omnibus existentibus
in gratia utilior: ideoque est,
& non est consulenda, seu
concedenda.*

⁴²¹ **S**cio fidelibus non habentibus peccati lethalis
conscientiam licere quotidianam commu-
nionem. Scio per se loquendo quotidianam
Eucharistiæ usum perfectiorem esse, quam ra-
torem: ac proinde cunctis eritendum esse ad
quotidianam Eucharistiæ frequentiam, si possint.
Quæstio igitur non procedi de talis frequentiæ
perfectione secundum se; sed respectu talis in-
diuidui, vel talis generis personarum. Quippe
sæpè contingit, aliquid esse secundum se perfe-
ctius, & tamen huic, vel illi vtilius non esse,
quamvis alioquin non scilicet. Dubium igitur
est: num hæc maior perfectio Communionis
quotidianæ sit vniuersaliter vtilior omnibus exi-
stentibus in gratiâ, & per consequens omnibus
consulenda, ac persuadenda?

⁴²² **M**agis vtilis est, & ideo consuli, ac persuade-
ri debet. Quia id suadet usus nascentis Ecclesiæ,
in qua fideles omnes quotidie Eucharistiam reci-
piebant ex præcepto tam Apostolorum, quam
Pontificum. Et quia Paulus 1. Cor. 11. solum pu-
ritatem à lethali culpâ requirit, vt fidelis edat, &
bibat. Et quia passim Patres quotidianam com-
munionem suadent. Et quia panis Eucharisti-
cus quotidianus vocatur, eo quod quotidie
sit assumendus. Et quia hoc Sacramentum
conferit iustis ex opere operato gratiam, virtutum
robur, medicinam, & antidotum. Et quia Sacer-
dotes quotidie celebrant, cum tamen ad cele-
brandum eo maior puritas requiratur, quo maior
est celebrantis dignitas Sacerdotis, quam Laici
communicantis. Et quia si hodie communicare
non licet, nec post octo dies licebit, quia non
erit tunc maior puritas, aut deuotio. Et quia si
non communicare quotidie, perfectius esset,
quam quotidie communicare: poterit fieri vo-
tum de non communicando quotidie saltem
dum non adest dispositio congrua, quamvis ad-
sit necessaria: Vnde qui post emissum tale vo-
tum communicaret, mortaliter delinqueret;
quod videtur plusquam falsum. Sic Petrus Vin-
centius de Marcilla in quodam Memoriali de
hac re cum suis adiutoribus. Maurus de Valderas in
Theolog. certam. Ioan. Sanctius d. 22. citans pro
se Modernos aliquos, & inducens alios anti-
quiores.

⁴²³ **N**on en magis aliquibus vtilis, & ideo consuli
omnibus, ac persuaderi non debet. Quia tantum
Sacramenti reuerentia postulat in recipiente
quotidie non solum munditiem à lethali bus cul-
pis, sed etiam à venialibus frequenter. & deli-
beratè commissis, quæ planè tollant cibi celestis
spiritualem famem, dum terrenis cuius & volup-
tatibus animum dedunt, & panem pinguem ha-
bentem omnem dulcedinem; ac saporem red-
dunt insipidum. Ideo D. Gregor. 1. Reg. 1. de
culpâ etiam venialibus loquitur, dum ait: *Non*
saturantur nisi famelici, qui à vitis perfecte ieu-
nantes diuina Sacramenta percipiunt in plenitudi-

G 3 me

ne virtutis; & quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt, quid restat, nisi ut à peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, vacuari quotidie conentur; nam qui quotidie non exhauret, quod delinquit, & si minima sint peccata, quae congerit, paulatim anima repletur: atque ei merito auferunt fructum internae saturitatis. Hac repletionem nos euacuare Paulus insinuans, ait: Probat autem seipsum homo. Vbi sentit, Apostolum de probatione non solum mortalium, sed de venialium euacuatione fuisse locutum. Requirat praeterea tanti Sacramenti reuerentia rectam recipientis intentionem, & actuale feruorem, quae vix possunt quotidie à quibuscumque adhiberi: nec nisi ab illis, qui purius viuunt, meliusque sunt ad res diuinas affecti, nec adeo curis, & negotiis secularibus implicati, ut nequeant accedere quotidie cum debita dispositione: nec tantum temporis huic actioni dare, quam par esset. Vnde periculum imminet, ne communionis frequentia in meram veniat consuetudinem, ac sensum reuerentiam minuens pariter teporem, ne negligentiam, ingerat, & contemptum. Ergo non omnibus praesertim Laicis, & coniugatis quotidiana communio est consulenda, imo vix permittenda nisi sic recepturus viuatur, ut quotidie mereatur accipere, quod in paucissimis inueniatur. Porro cum effectus Eucharistiae proueniat maior, vel minor etiam ex opere operato iuxta maiorem, vel minorem fumentis dispositionem, certe qui communicaret quotidie tepidus, aut parum dispositus, exiguum ex communione fructum perciperet; si tamen interdum abstineat, ut discat reuereri, purgari, feruere, multo percipiet maiorem. Ita D. Thom. 3. part. quæst. 80. art. 10. Alensis, Albertus, Soro uterque, Caiet. Ouand. Ledesm. Medina, Tapia, Syluest. Nuñus, Angel. Tabie. Magister Auila, Suar. Henriq. Valent. Coninch, quos Card. de Lugo dist. 17. sect. 2. Gerlon, Blofi. Rusbochi, Ludouicus Granat. Ludouicus de la Puente, Franciscus Arias, Ildephonfus Rodriguez, & alij, quos sequitur Ferdinandus Quirinus de Salazar in practica communio, cap. 13. §. 13. Vasquez Manuel. Durand. Rosel. Vega, Nauar. Chaves, Villalob. Filiuc. Posseluin. & alij, quos refert Ioan. Sanctius citatus n. 5. Bonac. d. 4. q. 7. punct. 2. n. 16. Martinon tom. 4. d. 35. sect. 7. Franc. de Lugo de Sacram. l. 4. c. 9. q. 6. a. n. 57. & alij quamplurimi, quos breuitatis studiofus omitto.

424 Ego quidem huic communi haere labens sententiae, quam reor ab omnibus fere Patribus, quae de frequentia communionis scripsere, confirmari. Neminem enim legi, qui absolute fidelibus indifferenter quotidianam suaderet communionem, sed solum eis, qui sanctitate vitae praemissa, digni tam frequentem facerent epulo redderentur. Porro cum pulchrum D. Thom. sententiam recolo, videor omnium Patrum ex ore locutum. Facit Angelicus Doctor qu. 8. art. 10. Circa usum huius Sacramenti duo possunt considerari, unum ex parte ipsius Sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaria; & idcirco vtile est, quotidie sumere ipsum, ut homo quotidie eius fructum percipiat. Alio modo potest considerari ex parte fumentis, in quo requiritur, ut cum magna deuotione, ac reuerentia ad hoc Sacramentum accedat. Et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inueniat, laudabile est, quod quotidie sumat. Sed quia (addit) multoties in pluribus hominum multa impedimenta

huius deuotionis occurrunt propter corporis indispositionem, vel animae, non est vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere. Quid accommodatiue quaestio? Pro maiori autem mentis meae declaratione existimo varios esse communicandi frequentem terminos, vel raro fidelibus communes, inter quos possit medium aliquod regulariter conuenienter timoratis, audentibus scilicet vel occasione, vel voluntaria consuetudine delinquendi, vel aliquo peccato permanenti, quod sufficienter non retractauerint. Porro qui communicant semel in anno, vel etiam ter, aut quater, ad raritatem pertinent: in quibus longa dilatio difficultatem reddit dispositionem debitam, ne dum congruentem; quia difficilior est post longam moram conscientiae discussio, minor de peccatis dolor post diuturnam in illis complacentiam, minor rerum diuinarum sensus, quibus tam diu non attenditur. Idcirco docet experientia, raro communicantes in culpas mortales labi frequententer. Qui communicant singulis mensibus etiam pertinent ad raritatem; nam experientia teste, licet non tot mortalia committant, non illa prorsus euitant: & ita tepide, ita fere difficile disponuntur acilli, de quibus nuper locuti sumus. Qui communicant decimoquinto die reduci possunt ad frequentiam; quia raro labuntur grauius, & minorem habent in discutienda conscientia difficultatem, quam raro Eucharistiam accipientes; Caterum amittit magnum fructum, quem ex maiori frequentia perciperent: & non acquirunt illam maiorem dispositionis facilitatem, quam communio simpliciter frequens tribueret. Qui communicant octauo quoque die, vel bis in hebdomada, tenent absolute frequentiam cum eius fructibus, & sine quotidiana communionis periculis. Qui communicant quotidie pertinent ad summam frequentiam, quae tam in viris, quam in feminis vitae communis habet difficultatem continuationis, & temporis periculum. Itaque medium, quod inter extrema nimia frequentia, vel infrequentia nonnunquam vitiosa, vel periculosa temperatrix praescribit omnibus fidelibus vitae communis etiam perfectis, est hebdomadaria communio. Nam in tali mora nec nimia dilatio reddit difficilem dispositionem, nec nimia familiaritas reuerentiam immittit, nec nimius usus fastidium ingenerat, nec consuetudo parit inconsiderationem, vel hypochrisim singularitatis, aut inanem gloriam adsciscit. Maneat igitur certum, communionem hebdomadariam omnibus fidelibus timorata conscientia: tam perfectis, quam imperfectis esse consulendam: communionem vero quotidianam utiliore esse perfectionibus duntaxat, selectioribus, & pudicioribus, qui charitatem augeant, quin minuant reuerentiam. Do Blofi in Monit. c. 6. clausulam totam meam doctrinam confirmantem, quam asserit Sanctam Gertrudem à Domino didicisse. Quotquot (inquit) viri, vel feminae seculares viuunt in aliquo statu, qui à Deo & Ecclesia non discordet, siue sint in matrimonio, siue extra matrimonium: siue vendant, siue emant, siue alia licita ratione victum sibi parent: si bona voluntate praediti & Dei gratia perseuerant in bono, & à grauib. culpis se continent, vitamque suam secundum Dei praecepta, ac sanctae Ecclesiae decreta dirigere volunt: hi omnes de Dei misericordia consili, venerandus Eucharistia Sacramentum in solemnitatibus vel diebus à Patre

Sectio II. De Eucharistiâ, Problemata. 79

te spirituali ipsorum statutis percipere possunt. Licet enim rebus externis multipliciter occupati sint, & in leuioribus culpas sæpius cadant, pro vniuersis tamen iusti sunt in omnibus, ob idque Deo placent. Inueniuntur autem nonnulli, qui in se ipsos, qui habitum secularem gestant, quamvis inter eos, qui habitum secularem gestant, aliqui tam puri, & feruentes, vel sancti, ut quotidie sacram communionem percipere possint. Ad nota illud: *vel diebus à patre spirituali ipsorum statuit.* Oportet enim ad rem tanti momenti, fideles Confessarij subiacere iudicio. Vnde Vincentij de Marcella citati nunquam potui approbare sententiam asserentis non debere fideles quoad communionem quotidianam Confessarij expectare iudicium, nec eius monitis reluctantes ac consilio parere: sed obtemperare semel mortali abfolutione, inuito etiam ac dissuadente Confessario, posse quotidie communicare non solum licite, sed magis perfecte. Quod asserunt quoniam sit absurdum, vel cæci conspiciunt. Cum doctrina communis sit apud Sanctos, & spirituales viros, in rebus ad spirituales profectum pertinentibus debere quemlibet Patris spiritualis consilij & directioni stare, nec proprio iudicio duci. Grauius enim est spiritualis vite periculum cum sine fidei consilio directionisve quicquam audet procedere.

CAPVT XVIII.

Circa Eucharistiæ Ministrum.

PROBL. CI.

Si Sacerdos Pastor adsit, & inique denegat Diacono facultatem ministrandi moribundo Eucharistiæ: potest Diaconus, & non potest eam ministrare.

MIMVS *sest. 1.* dupliciter posse aliquem Eucharistiæ dispensare, primo potestatiue, scilicet per potestatem sibi competentem, quomodo Sacerdotes omnes dispensant, nam habent ordinis potestatem, & solum deest illis iurisdictionis, per quam dantur subditi, circa quos talis potestas exerceatur. Secundò autem ministerialiter, nimirum, ut merum instrumentum alterius, quomodo ministrat Eucharistiæ Diaconus. Vidimus præterea etiam nunc secundum præsentem Ecclesiæ statum posse Sacerdotem in casu necessitatis Eucharistiæ dispensationem Diacono committere, nec requiri ad hoc necessitatem extremam, sed moralem, videlicet, quod Sacerdos sit infirmus, vel debilis, vel impeditus, nec ad alij Sacerdotes, qui ministrare possint & velint. Vidimus demum posse Diaconum Sacerdote absente deferre viaticum moribundo vel ex præsumptâ voluntate Pastoris, vel ex concessione iuris. At extra mortis articulum ratio suberit necessitas sufficiens, ut Diaconus Eucharistiæ ministraret sine iussu Pastoris expresso.

His præmissis, ad questionis procedo resolutionem. Si Pastor adsit, & inique denegat Diacono facultatem in casu necessitatis ministrandi Eucharistiæ, non potest illam ministrare. Quia Diaconus discutere non debet, an Sacerdos recte prohibeat, nec ne: sed obedire. Sic Sylui, *v. Diaconus n. 4. & alij.*

Potest Diaconus Eucharistiæ hoc in casu ministrare. Quia præsentia Pastoris abutentis suâ potestate censetur nulla proindeque recurrendum est ad præsumptam Superioris voluntatem, nempe vel Episcopi, vel Papæ, vel ad ius commune talem facultatem concedens. Ita Suar. *d. 72. sest. 1.* Zambr. *c. 3. dub. 7. n. 6.* Laym. *l. 5. tr. 4. c. 7. n. 2.* Valsq. *d. 219. sest. 1. n. 12.* Valent. *tom. 4. d. 6. q. 10. punct. 1.*

Idem asseruerim. Cauendum tamen est, ne sequatur scandalum, aut rixa: constare quæque debet denegationis iniquitas: nam in dubio parendum esse reor.

PROBL. CII.

Necessitate urgente, potest, & non potest Sacerdos administrationem Eucharistiæ Clericis inferioribus, & etiam Laicis committere.

NON potest. Quia cap. *Peruenit de Consecrat. dist. 2.* carpuntur acriter Presbyteri, qui per Laicos ad infirmos Eucharistiæ impingebant. Et quia non est tanta Eucharistiæ necessitas, ut qui non est Sacerdos, vel Diaconus, valeat ob indigentiam moribundi contra communem Ecclesiæ ritum viaticum ministrare. Habenda siquidem maior ratio reuerentiæ Sacramento debita, quam fructus infirmorum, quibus sic impeditis spiritualis communio sufficit. An non minus est, sine planetâ celebrare? Ita plane, nec tamen id Ecclesiæ permittit ad dandum moribundo viaticum. Igitur à fortiori non permittet, quod Laicus vel Clericus inferior Diacono deferat. Sic D. Thom. Palud. Sylui. Henriq. Sa, Victor. Possuin. Viuald. quos sequitur Bonac. *d. 4. q. 5. punct. 1. n. 6.* Fagund. *prac. 3. l. 3. c. 1. & 3.* Præposit. Hurtad. Faust. Ochagau. Tanner. apud Dianamp. *5. tr. 3. resol. 47.*

Potest quidem. Quia si cui moribundo iudicaretur hic & nunc valde necessaria communio, præsertim dum aliud Sacramentum non potest recipere, nec adest Sacerdos, vel Diaconus, qui possit Eucharistiæ deferre, non est ex natura rei malum, nec contra Sacramenti reuerentiam, ut Diacono inferior Clericus, vel Laicus ministraret ei viaticum, à quo forsam morientis status penderet æterna. Ita Suar. *d. 72. sest. 1.* Laym. *l. 5. tr. 4. c. 7.* Reginald. *l. 12. n. 93.* Quatanad. *tom. 1. tract. 4. singul. 8.* Granad. *3. p. controu. 6. tr. 12. d. 1. n. 4.* & merelato in *Total. Moral. tract. 7. exam. 6. c. 5. n. 62.* meus sapientissimus Magister Frangep. de *Lugo de Sacrament. lib. 4. capu. 11. mane ro 11.*

In sententiâ, quam inibi tradidi, persisto. Vel enim illud esset malum propter contactum, & hoc tenet, & hoc non; nam olim Sacerdos dabat Eucharistiæ in manus fidelium, qui domum etiam illam portabant mane sumendam, ut refert Baronius

426
Non potest ministrare.

427
Ministrare potest.

428
Hoc probabiliter.

429
Non potest.

430
Potest quidem.

431
Hoc tenet, & hoc non.